

IV.

De Officio, & Qualitatibus Scriptorum, & Abbreviatorum literarum Apostolicarum; Custodisque Cancellariae, ac Examinatorum, Bullatorum, & Registrarum; Auditorumque, Procuratorum, & Notariorum Rotae, & Advocatorum Consistorialium.

Martinus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

IN Apostolica dignitatis specula super gregem dominicum licet immeriti constituti, injunctum nobis desuper Apostolatus officium, debite, ut tenemur, exequi coadiuvante Domino cupientes, ad ea libenter nostrae provisionis auxilium, evellantur vitia, plantentur virtutes, destruantur iniqua, & redificentur honesta, ac prava transeant in directa, & sublati deformibus, reluceant debite reformationis decor, & pulchritudo, ut totius aequitatis, & justitiae exinde proveniant incrementa.

§. 1. Sane licet fel. rec. Joannis XXII. Benedictus XII. & Gregorius XI. Romani Pontifices praedecessores nostri, necnon de mandato Apostolico nonnulli Auditores Audientiae contradictarum literarum Apostolicarum, & demum bona memoriae Gaufridus Episcopus Cabillonensis, & Petrus tunc electus Vivariensis dicte audientiae Auditores nonnullas constitutiones, & ordinationes regimen, & gubernationem officialium, ac officiorum Cancellariae, & Poenitentiarie Apostolicarum, necnon praedictarum contradictarum, & causarum Palatii Apostolici audientiarum, & aliorum in Romana Curia Judicum, seu Commissariorum, eorumque Notariorum, necnon Advocatorum Consistorialium, & Procuratorum in audientia praedictis, concernentes laudabiliter ediderint; Quia tamen hujusmodi crescente malitia postmodum aut debite non observatae, aut additionibus utilibus indigere noscuntur; Nos igitur super hoc intendentes, prout ex debito pastoralis officii nobis injuncti licet immeriti obligamur, laudabiliter, & utiliter providere, tenore praesentium praefatas constitutiones, & ordinationes, (quas hic haberi volumus pro expressis) auctoritate apostolica tenore praesentium innovantes, ac eas cum additionibus infrascriptis praecipientes firmiter observari, eadem auctoritate statuimus, & etiam ordinamus.

§. 2. Quod si Notarii Apostolici, ac eorum Abbreviatores, & alii in justitia, & etiam gratia literarum Apostolicarum Abbreviatores taxam nimiam pro minutis suis petierint, ac etiam si literae Apostolicae excessive taxatae fuerint, super excessibus hujusmodi per partes ad Vicecancellarium, aut

Exordium.

Praedecessorum Pontificum edictis hac de re constitutiones confirmans.

De non exigendo ultra taxam.

Socius agra irrita.

Quemque in Ordine, in quo novam emisse professionem stare praecipit.

Vagos autem ad suam religionem vulgare.

Hunc vero eximium fieri in posterum vetat.

Obstantibus derogat.

Dat. die 29. Julii 1418. An. L.

§. 2. Et nihilominus secus vel aliter facta non teneant, & nullius existant efficaciae, roboris, vel momenti.

§. 3. Decernentes etiam, & volentes, quod si quis haecenus virtute cujusvis licentiae, seu indulti hujusmodi fuisse receptus ad aliquem Monasticum Ordinem, & habitum consuetum gestari per Monachos talis Ordinis suscepisset, sive professionem emisisset, sive non, sub dicta poena teneatur in Monasterio, in quo receptus fuit, etiam si Beneficia Ecclesiastica, seu Rectorias Ecclesiarum quarumvis obtineat, stare in ejus totali vocatione in hujusmodi Ordine Monastico, & altissimo deservire.

§. 4. Si quis autem praetextu hujusmodi licentiae cum habitu, vel sine, quomodolibet vagando incederet, monitione praevia teneatur, & debeat infra terminum quindecim dierum a die monitionis hujusmodi computandorum, ad ejus Religionem & Ordinem, unde cum licentia, vel sine, recesserat, remeare: quod si efficere neglexerit post ipsum terminum, tanquam notorius Apostata, & excommunicatus in omnibus, & per omnia debeat per quemlibet reputari, & tractari, etiam per invocationem Brachii Saecularis, quoties fuerit opportunum.

§. 5. In futurum autem nullus ex professoribus alicujus ex Ordinibus Mendicantium hujusmodi ad aliquem Monasticum Ordinem Carthusiensi dumtaxat excepto, possit aut debeat per quemcumque recipi, vel admitti virtute alicujus licentiae vel indulti absque Sedis ejusdem licentia speciali sub dictis poenis: Et nihilominus secus facta non teneant ipso jure.

§. 6. Hujusmodi licentiis & indultis, necnon Constitutionibus Apostolicis & Mendicantium Ordinum praedictorum, etiam si de his specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum in nostris literis mentio habenda foret, & aliis contrariis non obstantibus quibuscunque.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, decreti, statuti, prolationis, & voluntatis infringere &c.

Datum Gebennis, Quarto Kalendas Augusti Anno Primo.

aut de mandato suo, vel ipso absente ad ejus Locumtenentem, seu Praesidentem in Cancellaria praedicta habeatur recursus, qui deliberatione habita cum Abbreviatoribus Assistentibus eidem Vicecancellario in expeditione literarum Apostolicarum in Cancellaria, & aliis de quibus sibi videbitur in hoc peritis, excessus praedictos ad debitam reducat moderationem, ac medietatem hujus quod excessive petierint, a scriptoribus, vel Abbreviatoribus, qui illud petierint, necnon taxatoribus literarum earum, qui illas sic excessive taxaverint, exigant, in usus Cappellae Scriptorum praedictorum, aut alia pia opera convertendum. Quodque Notarii praedicti pro minutis literarum provisionum Patriarchalium, Metropolitanarum, ac aliarum Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumcumque Consistorialiter factarum, cum aliis non pertineant ad ipsos, recipere valeant, sicut plus, vel minus pro communi servitio solvitur ab eisdem, videlicet pro primo centenario florenorum communis servitii ultra quinquaginta, & pro quolibet alio similibus florenorum centenario, si plura sint ultra unum, & si servitium hujusmodi ad centum florenos non ascenderit, pro quolibet decenario numero florenorum hujusmodi, ultra medium florenum nullatenus recipiant, vel exigant quocumque quesito colore, alioquin eorum quemlibet poenas in dictarum literarum Abbreviatores plus debito a minutis quas faciunt exigentes latas inferius, declaratas incurrere volumus ipso facto. Quod si eorum, & cujuscumque alterius Abbreviatoris culpa literae, quarum fecerint minutas, & pro quibus salaria seu emolumenta recipiunt, fuerint rescribenda, eorum sive illius expensis rescribantur, qui fuerint vel fuerint in culpa, sub poenis infra dictis. Et insuper cum praefati Notarii expertos, & sufficientes habeant Abbreviatores, quandoque recipiunt in arte Abbreviatoria minus expertos, ex quibus secuta sunt quandoque detrimenta atque damna, statuimus, quod nullus dictorum Notariorum aliquem in suum Abbreviatorem recipere valeat neque possit, nisi primitus ad id per Assistentes Vicecancellario in expeditione literarum Apostolicarum, & alios quibus sibi videbitur, Abbreviatores in minutis super ipsi de justitia formandis experti & sufficientes reperti fuerint, & etiam approbati.

Pena praeter taxam existentibus infligenda.

Et Abbreviatorum examine.

De literis rescribendis, & poena errantiam in scribendo, vel Abbreviando.

§. 3. Statuimus, & etiam ordinamus, quod si litera fuerint in Cancellaria rescribenda judicata, quod infra tres dies naturales, a die requisitionis partis prosequentis, aut sollicitatoris expeditionis ejusdem, ille cuius culpa judicata fuerit rescribenda, expensis suis propriis sine quocumque alio salario quantumcumque modico, etiam gratis oblato, teneatur rescribere, aut rescribi facere, sub poena suspensionis ab officio scriptoriae literarum praedictarum, & ingressu Cancellariae, si Scriptor fuerit literarum praedictarum quadraginta dierum continuo tempore, nec interim literam alicujus taxae sibi distribuatur, sive Rescri-

ptorius literarum earumdem sub excommunicationis poena, quam si contrarium faciat scienter, incurrat ipso facto, a qua absolvi non possit, nisi a Romano Pontifice, prius satisfacto realiter, & cum effectu parti laese de damnis & interesse, & tres ducatos solvat applicandos eidem Cappellae Scriptorum literarum praedictarum pro poena. Si vero fuerit abbreviator, similiter compellatur literam facere scribi infra praedictum terminum, sub poena suspensionis ab ejus officio, & ejus ingressu Cancellariae per tres menses, quo suspensionis tempore durante nihil sibi distribuatur Vicecancellarius, Quod si inadvertenter, vel alias Vicecancellarius quicquam sibi distribuatur, & ipse recipiat hujusmodi suspensionis tempore durante ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, a qua nullo modo possit absolvi, nisi a Romano Pontifice, prius satisfacto parti laese de damnis, & interesse, & donec realiter solverit tres ducatos convertendos ut praefertur, & ad reiterationem delicti sive excessus locum habeat multiplicatio poene.

§. 4. Et quod nulli ex Scriptoribus praedictis, qui per se ipsum ejus officium scriptoriae literarum praedictarum personaliter non exercet, aut non valet exercere, quicquam distribuatur, aut aliquid ex eodem officio percipiat emolumentum, nisi causa infirmitatis, aut alio legitimo extiterit impedimento detentus, quo casu cum eo possit per Vicecancellarium praedictum per literas ejusdem causam distributionis continentes prius in ipsa Cancellaria publicandas, ad tempus, de quo sibi videbitur dispensari. Quodque de cetero nullus hujusmodi officium scriptoriae praedictae cum officio poenitentiarie literarum valeat retinere, & si quis hoc attentare presumpserit, utroque privatus existat ipso facto.

§. 5. Illi quoque qui hujusmodi Abbreviatura, vel Scriptoriae Apostolicarum, cum officio Scriptoriae Poenitentiarie literarum praedictarum insimul nunc obtinent, infra decimum diem proxime futuram hujusmodi officium Poenitentiarie, vel Scriptoriae literarum dimittere teneantur. Alioquin si contrarium fecerint, poenam incurrant proxime dictam.

§. 6. Sane cum deceat Abbreviatores literarum praedictarum Assistentes Vicecancellario, aut Locumtenenti, seu Praesidenti praedictis in hujusmodi literarum in Cancellaria praedicta expeditione, Abbreviatura literarum ipsarum officio fore sufficientes, & expertos, ac etiam circumspectos, prudentes, & probos, similiter statuimus, & ordinamus, quod nullus de cetero ad assistendum praedicto Vicecancellario, seu Locumtenenti, vel Praesidenti in literarum Apostolicarum expeditione, nisi per dictam majorem partem Abbreviatorum, contentantium Cancellariam antedictam primitus examinatus fuerit, & ad id repertus sufficiens, & etiam approbatus, nullatenus admittatur.

§. 7. Et quod praedicti Assistentes hora super hoc per Vicecancellarium praedictum depu-

De Distributionibus absentibus non dandis.

Scriptoriae Cancellariae, & Scriptoriae Poenitentiarie incompatibiles.

De Assistentibus praevio examine probandis.

Cancellariae Officiales singulis diebus in ea praefatos esse debent.

deputanda, singulis diebus, quibus ipsa Cancellaria tenebitur, ad eam venire, & in ipsa quando tenta fuerit, reuideri debeant, nec interim ab ipsa recedere possint cessante excusatione legitima, quam eidem Vicecancellario, aut Locumtenenti, seu Praefidenti, si praesentes fuerint, vel in eorum absentia praedictis Assistentibus exprimere debeant, vel jurare se legitimam excusationem habere, nisi super hoc a Vicecancellario, vel Locumtenente licentiam habuerint specialem. Quodque singuli Assistentium praedictorum, qui post tertiam partem horae praedictae venerint, sex, & similiter qui ante dictam Cancellariam finitam recesserint, sex alios, qui vero eadem die ad dictam Cancellariam non venerint, duodecim grossos Turonenses singulis diebus, quibus haec commiserint, Capelle Scriptorum praedictorum pro poena contemptus, statuti, & ordinationis nostrae hujusmodi, infra tres dies tunc immediate sequentes solvere sint adstricti, nec ob id appellantes, nisi prius satisfacto de principali, & expensis, si quae inde factae fuerint, ad hujusmodi appellationis prosecutionem quomodolibet admittantur. Similiter idem per alios Abbreviatores sufficientes ad continuandum eandem Cancellariam per Assistentem praedictos ex aliis Abbreviatoribus eligendos, necnon in officialibus dictae Cancellariae, sub similibus poenis volumus observari.

De Juramento a Custode emittendo; ejusque officio.

§. 8. Statuimus insuper, & etiam ordinamus, quod Senescallus dictae Cancellariae qui Custos nuncupatur, juramentum in manibus dicti Vicecancellarii in sua primaria receptione ad officium senescalliae Cancellariae praedictae, necnon singulis annis de hujusmodi officio fideliter exercendo, & alias juxta formam juramenti praedicti per nos noviter appositam, & in libro Cancellariae infrascriptam praestare teneatur. Quodque ipse in quibuscumque literis de gratia, diem receptionis earumdem, qua sibi in dicta Cancellaria praesentabuntur, scribat, & pro scriptura hujusmodi nihil recipiat etiam gratis oblatum, literasque praedictas secundum ordinem receptionis earumdem sine fraude in expeditione praesentet expediendas. Nec literas, rotulos, ac supplicationes in literarum expeditione traditas vel traditos, ante vel post nostrarum literarum expeditionem in dicta Cancellaria, celabit vel occultabit, aut malitiose retinebit, seu earumdem literarum expeditionem differet, aut retardabit per se, vel alium, seu alios, contra ordinem supra scriptum. Quod si contrarium scienter fecerit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, a qua absolui non possit nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constitutus. Quodque si Senescallus praedictus contra hujusmodi suum juramentum fraude vel dolo aliqua fecisse reperitur, sit dicto officio eo ipso privatus, & quia de talibus, & similibus delictis, quae secreta committuntur, potest cum difficultate constare, sex de Scriptoribus, vel Abbreviatoribus praedictis non suspecti, ac bonae fama, & boni nominis ipsum Senescallum

hujusmodi suum officium illegaliter exercuisse deponant, & de hoc etiam sit publice diffamatus, dicto suo officio sit eo ipso privatus, & nisi de eo per dictum Cancellarium infra tres dies inde sequentes provium fuerit, ex tunc possit de sufficienti Abbreviatore literarum praedictarum (qui juramentum similiter praestare, & omnia praedicta eidem Senescallo incumbenda adimplere teneatur) provideri. Et insuper quod nullus alius quam Senescallus praedictus aliquam literarum gratiam continentem expediendam in loco expeditionis ponat.

De confirmationibus Cancellariae petenti dandis.

§. 9. Similiter statuimus, & etiam ordinamus, quod nulla constitutionum dictae Cancellariae cuiquam, ut de ea in iudicio vel alibi fidem faciat, tradere, nisi primitus per dictos assistentes fuerit iudicatum danda, & postmodum per duos ex eis tunc praesentes videatur, & signetur in dorso, ac per duos ex Abbreviatoribus in forma debita auscultetur cum libro praedicto, qui se subscribant in eadem, & deinde per Vicecancellarium subscribi debeat, & suo signo more debito signari, & parti petenti dari, pro qua quidem constitutione ultra quatuor grossos Avinionenses, quorum sexdecim valent unum florenum auri de Camera, pro signo, sigillo, & scriptura, & alias per Secretarium, vel Cubicularium dicti Vicecancellarii, & Senescallum praedictum, vel alios quoscumque nullatenus recipiatur, vel etiam exigatur.

De expeditione literarum iustitiae.

§. 10. Praeterea ut literae iustitiam concernentes absque partium damno, ac brevius expediantur, statuimus & ordinamus, quod Cancellaria literarum iustitiae, quae si ad hoc literae sufficientes, ter singulis septimanis, prout antiquitus teneri consueverat: Si vero ad id hujusmodi literae non sufficientes, singulis septimanis saltem semel teneatur: ad quam Notarii, qui sex esse debent, eorumque, & alii in formandis notis de iustitia, vel in iure sufficientes Abbreviatores, (quorum nomina sint in matricularia Abbreviatorum dictarum literarum inscripta) necnon Praelati, & alii Doctores famosi ac practici in dicta Curia praesentes, & primitus per eosdem Praelatos, & Doctores solito praestito juramento, debeant convocari, prout haecenus extitit laudabiliter observatum. Quodque in eadem Cancellaria literae executoriae super sententiis in Romana Curia latis, nisi stylus in causis in eadem Curia servari solitus, servatus fuerit per ordinem, prout in literis praedictis juxta stylum Cancellariae praedictae narrati consuevit, aut in aliquibus expensae factae in causis ipsis excessive contra constitutiones super editas notorie taxatae fuerint, donec de partium, vel partis victricis consensu vel alias iudice moderatae fuerint, minime possint, & debeant expediri.

De examinatione officio, & qualitatibus.

§. 11. Et insuper statuimus, & ordinamus, quod Examinatores in gratia speciali, antequam exercent hujusmodi officium, de illo fideliter exercendo in manibus dicti Vicecancellarii praestent juramentum, ipsique postmodum hujusmodi officium diligenter per se ipsos exercent. Impetrantes de literatura, scientia, & idoneitate, & illos beneficia cu-

curam animarum, aut jurisdictionem habentia petentes, rigide examinent, ac de vita & moribus informationem recipiant diligenter, & praedictas sufficientiam, & idoneitatem in scriptis sub signeto suo referant examinatores, pro qua quidem scriptura, signeto, salarioque, & labore eorum, ultra unum grossum Turonensem, & Clericus scripturam faciens praedictam, ultra similes grossi quartam partem, aliquid etiam gratis oblatum, nullatenus recipere praesumant. Quod si Examinator vel Clericus in contrarium attentaverint, eo ipso excommunicationis sententiam incurrant, a qua non possint absolvi donec fuerit satisfactio facta.

De Bullatoribus.

§. 12. Similiter statuimus, & ordinamus, quod Bullatores dictarum literarum Apostolicarum, pro ipsis literis bullandis, sive gratiam, sive iustitiam contineant, ultra illud quod antiquitus, & ante ultimum schisma videlicet tempore Gregorii Papae XI. praedicti, pro similibus recipiebant literis, nihil recipere praesumant, nec de litera duplicata, ultra quatuor, & de litera correctae iterum bullanda, necnon de litera super sumpto habito de registro, ultra octo, necnon de literis alias bullatis, & iterum (non tamen propter defectum partium) bullandis, & in dicto registro corrigendis, ultra unum Turonensem grossum recipere, aut exigere praesumant.

Registratores.

§. 13. Et idem volumus per dictarum Registratores in praedictis omnibus observari. Quodque praedicti registratores literas registratas, causa aliquid exigendi, vel extorqueudi a prosequentibus ipsas, plus debito disserri non faciant registrari, vel eas de mala expeditione malitiose redarguant, sed ad quaesum accuset, aut in salaris Clericorum in registro praedicto scribentium participent, quod si contrarium fecerint, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, a qua (moris casu excepto) per alium quam Romanum Pontificem nequeant absolutionis beneficium obtinere, & insuper suo officio hujusmodi, si hoc per testes, vel alias praesumptive probari poterit, eo ipso sint privati, & perpetuo inhabiles ad quodcumque officium exercendum si in Romana Curia existant. Quodque Clerici in dicto registro scribentes, qui literas eis traditas infra tres dies ex tunc immediate sequentes (cessante impedimento legitimo) non registrarint, a dicto registro penitus amoti existant, nec ad ibi scribendum de cetero admittantur.

De Auditorum causarum qualitatibus.

§. 14. Et nihilominus cum iustitiam in iudicio contradictorio pure debeat exerceri, statuimus, & etiam ordinamus, quod nullus deinceps causarum Palatii Apostolici in Auditorem recipiatur, nisi Doctor fuerit juris famosis, & post doctoratum ab eo receptum per triennium ad minus legerit in eodem, sitque commendatus de vita, ac morum honestate, aliisque virtutibus, ac ab omni munere sint munda manus ejus, & bonum habeat testimonium, habeatque ad minus five in beneficiis, sive in bonis temporalibus, ducentos Florenos auri de Camera annuatim in portatis, de quibus valeat in dicta Curia ipse sustentari.

Et hujusmodi qualitarum perquisitione.

§. 15. Quodque postquam fuerit concessum per Papam aliquem in Auditorem causarum dicti Palatii admitti, antequam ulterius ad ipsius admissionem procedatur, Decanus Auditorum praedictorum de praemissis facere teneatur inquisitionem diligentem, & quicquid per eam repererit, fideliter referat Vicecancellario praedicto, qui hoc similiter Papa exponere teneatur, quod si aliquid de praemissis defuerit, ad ipsius admissionem in Auditorem ulterius minime procedatur, nisi aliud mandaret Papa antedictus.

Disputatio publica habenda antequam aliquis in Auditorem admittatur.

§. 16. Si vero per informationem hujusmodi, ipsum conspicerit famosum Doctorem, aliaque praemissa fore vera, idem Vicecancellarius vocatis quatuor ex dictis Auditoribus, si Canonici, Decretales; si vero Legisti fuerit, Legem, quam infra unius mensis spatium a die sibi assignata computandum, in dicti Vicecancellarii, aut Locumtenentis praesentia (& ad hoc vocatis omnibus dictae Sedis Notariis, & praedictis Auditoribus, & Consistorialibus Advocatis tunc in eadem Curia praesentibus, invitatis ad id etiam Praelatis, & aliis famosis, & literatis viris, qui tunc in eadem Curia extiterint) repetere teneatur, singulos qui arguere voluerint idem repetens audire teneatur, quodque quatuor ultimi ex Auditoribus, & quatuor ultimi ex Advocatis praedictis tunc praesentes arguere sint adstricti.

Auditorum minus, in rebus esse qualia debeant.

§. 17. Quod si idem repetens in hujusmodi repetitione taliter se habuerit, quod sit merito commendatus, dictus Vicecancellarius secundum relationem majoris partis Notariorum, & Auditorum, ac Advocatorum praedictorum ad ejus admissionem in Auditorem, ulterius procedat: si vero secundum relationem praedictam repertus fuerit diminuta scientia, vel iudicii relatione super hoc per dictum Vicecancellarium Papae facta, ab hujusmodi admissione repellatur.

§. 18. Et insuper quod praedicti Auditores, & eorum loca exercentes, libros juris ordinarios ad minus, continuo secum habere teneantur, processusque causarum agitarum coram eis personaliter videant, & visitent, ac testes in causis hujusmodi si ponderis fuerint (maxime si pars aliqua hoc requisiverit) examinent, in aliis vero per duos Notarios faciant examinari diligenter, nec cuiuscumque Notarii vel alterius relationi credant; nec ad sententiarum prolationem, in causis hujusmodi procedant registris praedictis per eos, ut praemittitur, non visis, & diligenter examinatis. Hoc etiam volumus per quoscumque Judices, & Commissarios in dicta Curia praesentes similiter perpetuo observari. Et nihilominus, quod si quis ex Auditoribus fuerit notatus de praecipitatione iustitiae, negligentia, seu non promptitudine iurium, propter non continuationem librorum, aut alias, & specialiter de corruptione, & acceptione munerum, seu vagus fuerit, seu alias male versetur in dicta Curia, per praefatum Vicecancellarium, vel ejus Vicegerentem caritative reddatur attentus, ut ab iis se abstineat & emendet, bonamque famam

mam acquirat, & in ea perseveret. Quod si se emendare neglexerit, & per tres menses continuos post avisionem hujusmodi, eadem nota vel infamia resperius fuerit, per dictum Vicecancellarium, aut ejus Vicegerentem commissiones sibi nullatenus committantur. Et si per alios tres menses simili nota vel infamia notatus fuerit, & notorie se non emendaverit, tunc predictus Vicecancellarius aut Vicegerens cum duobus Auditoribus, premissa Papae referre teneatur, qui provideat prout salubriter fuerit providendum.

§.19. Verum si contingat inter easdem personas, & super eadem re diversis Auditoribus aliquam causam committi, is cui primo fuerit presentata commissio, super causa hujusmodi remaneat ejusdem cause Judex. Quod si de jurisdictione alterius extiterit pro parte adversa data exceptio, tunc cujus fuerit jurisdictione, primitus cognoscatur, & si ulterius procedatur, ante cognitionem hujusmodi non valeat processus, & Judex teneatur parti ad restitutionem expensarum inde factarum, suumque interesse. Notarius vero qui ausus est talem contentionem appetere propter lucrum, scripturae, ac totius cause commodum perdat, teneaturque suis expensis parti dare, quod expendit in causa hujusmodi. Quod si idem Auditor, & Notarius contrarium fecerint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua non possint absolvi donec super iis satisfecerint ut praefertur. Et hoc etiam ad quoscunque Judices, ac Commissarios, ac eorum Notarios in dicta Curia praesentes pro tempore, duximus extendendum.

§.20. Praeterea statuimus, & etiam ordinamus, quod nullus ex Notariis cujusvis ex Auditoribus predictis, cum eo moram trahat, quod si forsitan aliquis ex ipsis cum eo morari voluerit, pro habitatione domus, & expensis, ultra quod justum & debitum fuerit, & rationabile salarium non solvat; & si quacumque causa vera vel simulata, respectu officii, aliquid Auditori dederit vel solverit, Notarius dando, & Auditor recipiendo, eo ipso excommunicationis sententiam incurrant, a qua nequeant nisi per Papam absolvi, ac duplo quod Notarius ultra debitum solverit, & Auditor receperit, per eorum quemlibet in usus pauperum de mandato dicti Vicecancellarii distributo.

§.21. Et quod nullus in Notarium cujuslibet Auditorum predictorum, nisi vigesimumquintum suae aetatis annum attigerit, & alias Notariatus officium exercuerit, sitque boni nominis, & bonae famae, ac sufficiens & idoneus ad dictum Notariatus officium causarum dicti Palatii exercendum, & post diligentem informationem super iis habitam, ac ipsius examinationem, & de praemissis confiterit, admittatur.

§.22. Et quod Notarii dictorum Auditorum sua Notariatus officia personaliter exercent, & si quis (cessante causa necessaria) a sui Notariatus officii exercitio per mensem continue se absentaverit, sit dicto officio eo ipso privatus, & de causa necessaria propter

De causis cognoscendi, & iudicandi competenti.

In cohabitatione Notarii cum Auditoribus quid cavendum.

De qualitatibus ad officium Auditorum in Notariis.

A Notariis exercendum officium per se.

quam ipsum oporteat dictum officium per substitutum exercere, & de illo per substitutum exercendo, a dicto Vicecancellario petat licentiam, quam idem Vicecancellarius, postquam de causa hujusmodi sibi confiterit, per suas literas causam ipsam continentes, concedere poterit ad tempus, de quo sibi videbitur faciendum.

§.23. Et insuper quod Notarii predicti in habitu decenti incedant, ac honesto, & convenienti Clerico saeculari. Tabernas non frequentent, nec Concubinarii existant, cum ex hoc suum vilescat officium, & malam famam acquirant, etsi contrarium fecerint, suis priventur officiis.

§.24. Quodque quilibet ipsorum quamprimum presbyter factus, seu dignitatem vel personatum in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia, aut Parochialem Ecclesiam pacifice affectus fuerit, hujusmodi Notariatus officium omnino dimittat, & ad hujusmodi officii exercitium in dicta audientia amplius non admittatur.

§.25. Et insuper, quod Notarius qui notatus, aut diffamatus fuerit, quod malitiose, negligenter, vel per dolum scripserit aliud quam in processu, aut in iudicio deductum, vel actum fuerit inter partes, seu diffamatus quod sit personarum, in quarum causis scribit acceptor, plus uni quam alteri favendo, & ei cause secreta detegendo, eo ipso a suo Notariatus officio suspendatur, & per Auditorem Camerae, cui hoc per dictum Vicecancellarium committatur summarie simpliciter & de plano, de hujusmodi infamia, & aliis praemissis inquiratur diligenter, & si per inquisitionem hujusmodi culpabilis repertus fuerit, aut si purgatio extiterit indicenda, & debite se non expurgaverit, privetur quibuscumque officiis quae in dicta Curia obtinebit, & ab eadem Curia perpetuo sit proscriptus, necnon in quingentis Florensis auri de Camera, per ipsum elemosynario Romani Pontificis realiter tradendis; & in usus pauperum convertendis, condemnatur, & idem volumus de quibuscumque Notariis quoruncumque Cardinalium, Iudicum, & Commissariorum in Curia pro tempore deputatorum, inviolabiliter observari.

§.26. Et nihilominus quod dicti Notarii in exactione salariorum suorum taxationes pro suis processibus, & scripturis in causa hujusmodi, taxas super hoc ordinatas per dictum Joannem XXII. servare teneantur, quod si ultra dictam taxam aliquid petierint, aut receperint, super excessu hujusmodi ad Vicecancellarium, seu Locumtenentem predictum super hoc habeant recursum, qui vocatis in hoc peritis, excessus predictos iuxta taxationes predictas ad debitum reducat moderamen, & medietatem hujus, quod excessive petierint, a Notariis exigant in usus pauperum convertendam.

§.27. Quodque pro citationibus compulsois, & inhibitionibus, decretis in partibus, procuratoriis instrumentis, remissionibus ad partes, examinationibus testium, & quibuscumque aliis scripturis bis scriptis in processu

De Notariis moribus.

Si Beneficium aliquod acquirat Notarius, officium vacat.

de excessibus Notariatus puniendis.

Taxa ab eis servanda.

Notanda circa hujusmodi taxam.

nisi semel dumtaxat taxentur, neque solvantur. Termini quoque superflui, seu ultra debitum extensi, & quacumque alia superflua scripturae pro reseratis habeantur, taxenturque clausulae, & dictiones proportionabiliter, prout poterant scribi in processu, quodque nullus Notarius, qui de petia nota registri sententiae definitivae duodecim grossos Turonensis receperit, de petia instrumenti super eo confecti, cum sit copia dictae notae, nisi sicut de copia in publica forma redacta iuxta constitutionem dicti Joannis XXII. recipiat. Et si de petia hujusmodi instrumenti similes duodecim Turonenses receperit, de hujusmodi nota sententiae sicut de copia recipere possit: quod si contrarium attulerit, quod ultra receperit, parti restituat, & totidem pro Capella predictorum Auditorum, vel Curforum infra octo dies tunc immediate sequentes realiter solvat, alioquin a sui officii exercitio per mensem sit suspensus, quod si se illi ingesserit, gravius per Vicecancellarium prout sibi videbitur puniatur.

§.28. Verum cum sicut Judicium, similiter Advocatorum requiratur consilium, maturitas, & circumspectio magna, insuper statuimus etiam & ordinamus consimiliter Advocatum nullatenus admittendum, nisi primitus servaverit, quae in auditoribus servari statuuntur. Quodque iidem Advocati pro singulis per eos commissionibus de iustitia, extra Consistorium proponendis, uno foreno de Camera sint contenti, nec aliquid ultra petere sint ausi: quod si contrarium fecerint, illud quod ultra exegerint, partibus restituere, & totidem dare pauperibus teneantur.

§.29. Et quod si quis Advocatus in Consistorio proponat aliqua, quae ex sui natura sint injuriosa, & in alterius diffamationem, & notam cedant, licet hoc in commissione, sive supplicatione per ipsum proponenda scriptum non fuerit, nisi pars principalis, cujus nomine proponitur, sit praesens, & dicat, & asserat hoc facere proponi ad effectum accusandi, vel partem denunciationis assumendi in forma juris, seu ejus procurator ad hoc habeat mandatum speciale, aut sint substantialia causa, ipse actione injuriarum teneatur ei, contra quem organum vocis suae praesiterit, & in decem florensis Camerae Apostolicae condemnatus existat. Quodque si quis Advocatus in Consistorio, vel audientia, clamorosus, injuriosus, & tumultuosus fuerit, vel etiam temere, vel immoderate se ingerat replicationi, aut defensionis causarum in Consistorio, sine requisitione, & informatione partis, eo ipso sit ab ejus officio suspensus per duos menses, & quinque florenos Camerae pro qualibet vice, qua hoc egerit, eidem Camerae solvere sit adstrictus. Ceterum quod si duo Advocati unam causam defendant in Consistorio, eorum altero dumtaxat duplicetur, habeant tamen prius consultationem ad invicem, vel in ipso Consistorio insimul se iungant, ita quod si proponens, alias reallegans aliquid, quod faciat Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

Advocatorum Consistorialium admittendorum qualitates.

In Consistorio male se gerentium poena.

ad cause defensionis emittat, illud submissa voce, & sine tumultu hoc dicat, ita quod in similibus junior semper deferat antiquiori Advocato, nisi ex causa aliter inter eos fuerit concordatum.

§.30. Praeterea statuimus, & etiam ordinamus, quod nullus ad publicum procuratoris officium in eadem Curia de cetero admittatur, nisi in eodem officio in dicta Curia sit exercitatus, & practicus, aut in jure graduatus, ac de diligentia, fidelitate, & probitate commendatus, & super iis, & aliis ad hujusmodi officii exercitium necessariis per Vicecancellarium, uno vel duobus ex Auditoribus, & totidem ex Advocatis predictis, ad id vocatis, & presentibus fuerit diligenter examinatus, & repertus idoneus.

§.31. Et quod nullus ex dictis Procuratoribus sit iniuriosus verbo, vel scriptura, in causarum patrocinio, nec causas, quas noverit injustas, seu iniquas, vel alias desperatas recipiat, nec pro causarum defensione ad eas diutius malitiose protrahendas materias subjungat admissibiles, quas non veras esse sciat, aut credat, vel probabiles per partem suam, quod praesumi poterit, videlicet si pars, pro qua causa dicitur, debilem, aut minus plenam informationem dederit, aut miserit super ea. Quod si quis Procuratorum predictorum in hoc culpabilis repertus fuerit, per causa Auditorem, vel Judicem, qui hoc noverit, aut in altero praemissorum cum deprehenderit, seu si hoc neglexerit, per Vicecancellarium, vel ejus Locumtenentem, quando sibi de hoc confiterit, perpetuo, vel ad tempus, prout casus exiget, a Procuratoris officio in dicta Curia suspendatur, & alias secundum casus exigentiam per predictum Vicecancellarium, vel Locumtenentem puniatur. Idem volumus si Procurator per corruptionem, vel aliam malitiam in causis, quas defendendas susceperit, & eas scienter, vel per ejus negligentiam perdidit in laesionem juris suae partis, observari: quo casu ad quacumque damna, & expensas, ultra predicta eidem parti restituenda, teneatur. Similiter in Procuratores, qui postquam pro una parte causam dixerint, eam contra ipsam & pro ejus adversa parte defendunt, & ducunt. Quodque si quis ex Procuratoribus predictis, vel aliis post appellationem interpositam in dicta Curia hujusmodi appellationis causam finxerit esse commissam, ut partem adversam decipiat, & eam ad dicendum contra hujusmodi fidam commissionem citari fecerit, in viginti florenos Camerae puniatur, in piis operibus per manum elemosynarii predicti convertendis. Et hujusmodi Procuratores, qui ut lites diu durare faciant, fictis appellationibus, & commissionibus utuntur, nisi probaverint causas appellationum, & commissionum hujusmodi veras esse, & ipsas relevantes, & ad juris sui declarationem, Judicis, vel Vicecancellarii, seu Praesidentis predictorum arbitrio puniantur, & parti adversae, quam indebite vexaverint, de damnis, &

Procuratorum Rotae qualitates.

Manus eorum rundem.

interesse; quæ propterea incurrit, te-
neantur.

§. 32. Verum cum dicti Procuratores
gravia gerent negotia, similiter in mori-
bus graves, in gestu, habitu, & conversa-
tione honesti esse debent; quod præfati
Procuratores in habitu decenti, & honesto
& statu seculari convenienti incedant, ta-
bernas non frequentantes, nec sint concu-
binarii. Si quis autem contrarium fecerit,
ab hujusmodi procurationis officio per
Auditores, Judices, & Commissarios præ-
fatos repellatur, & penitus excludatur, &
alias per dictum Vicecancellarium, vel
ejus Locumtenentem animadvertione debita
punietur.

§. 33. Et nihilominus, quod de cætero
nullus in Sacerdotio constitutus, aut digni-
tatem, vel personatum Cathedralis, vel
Collegiate Ecclesie pacifice obtinens, ad
hujusmodi Procuratoris officii exercitium
quomodolibet admittatur, nec in eo toleretur,
& si de hoc in causis per partem ad-
versam data fuerit exceptio, ex tunc pro-
cessus non valeat, eadem tamen pars ad-
versa de sua in hujusmodi causa defensione
confusa iterato denuo in eam causam vocetur,
nisi sit in dicta Curia alius Procurator, qui
onus causæ hujusmodi in se velit suscipere,
defendendæ.

§. 34. Cæterum cum Advocati, & Pro-
curatores præfati juxta sui laboris meritum
sint præmiandi, statuimus, & etiam ordi-
namus, quod in causis, in quibus simplici-
ter, & de plano, aut per audientiam con-
tradictarum, sive in contumaciam partis ad-
versæ, vel alias in causis levibus, in quibus
non sit magna jurium discussio, Advocati
in prima viginti, in secunda duodecim, in
tertia instantia octo; Procuratores simili-
ter in prima decem, & in secunda septem,
ac in tertia instantia hujusmodi, quatuor
florenis similibus sint contenti. Præterea
volumus, & etiam ordinamus, decem
grossos Turonenses circa taxam literarum
Apostolicarum, & Pœnitentiariæ prædi-
ctarum, ac minutarum earumdem litera-
rum Apostolicarum, necnon in bulla, & re-
gestis Apostolicis ac dictæ pœnitentiariæ,
necnon salarii Notariorum & aliorum quo-
rumlibet, pro uno dumtaxat floreno de Ca-
mera computari.

§. 35. Verum ut hujusmodi nostræ con-
stitutiones, & ordinationes ad omnium per-
veniant notitiam, eas in audientia prædi-
cta singulis annis in Kal. Octobris publicari,
necnon in libris Cancellariæ prædictæ in-
scribi, & registrari volumus per præsen-
tes. Nulli ergo &c.

Datum Gebennis, Kal. Septembris Pon-
tificatus nostri Anno Primo.

Vita moref-
que.

Sacerdotes
non sint vel
Beneficiati.

Salarium Ad-
vocatorum, &
Procurato-
rum.

De hisce le-
gibus publi-
candis.

Dat. die 1.
Septembris
1428. An. I.

V.

In Officio Provincialatus non possunt Fra-
tres Ordinis remitarum S. Augustini rec-
ligi, nec confirmari, biennio, vel triennio
completo, nec ad eorum vitam in ipso re-
manere.

Martinus Episcopus, Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Pro cunctorum Christianæ Religionis
Ordinum statu prosperè, & salu-
briter dirigendo, libenter nostræ sollicitudinis
partes adhibemus, & iis, quæ in eorum of-
fensam redundare conspiciamus, quantum
possimus obviamus.

§. 1. Sane sicut nuper non sine mentis
displacencia veridica relatione percepimus,
nonnulli Ordinis Fratrum Eremitarum S. Au-
gustini professores, etiam in Theologia Mag-
istri, in officiis Provincialatus secundum
instituta, & laudabilem consuetudinem ejus-
dem Ordinis pro tempore constituti spiritu
inanis gloriæ, & ambitionis ducti, & sua
forte non contenti, ut in hujusmodi officiis,
quibus præsent, continue, seu ad eorum vi-
tam remanere, seu iterum confirmari, vel
reelegi possint, variis ingenii, subtilibus-
que, & exquisitis modis, ac coloribus, etiam
contra ipsius Ordinis instituta, & consuetu-
dines hujusmodi perquirunt, insistant, &
procurant: unde plerumque accidit, quod
ejusdem Capitula Provincialia secundum
morem, & consuetudinem ipsius Ordinis ce-
lebrari prohibentur, seu alias indirectè im-
pediuntur, delinquentium excessus non cor-
riguntur, corruptiones quoque, & alia pacta
illicita committuntur, divisiones etiam, &
odia, ac alia scandala plurima oriuntur Or-
dine in eodem, in non modicam dicti Ordi-
nis confusionem, & offensam, ac pernicio-
sum exemplum plurimorum.

§. 2. Nos igitur in præmissis, prout ex de-
bito tenemur pastoralis officii, salubriter
providere cupientes, auctoritate Apostolica
tenore præsentium statuimus, volumus etiam,
& ordinamus, quod quilibet Prior Provin-
cialis dicti Ordinis, qui est, vel erit pro tem-
pore, qui juxta instituta, ac consuetudines
prædicta in sua Provincia anno quolibet Ca-
pitulum Provinciale ipsius Ordinis, diebus,
& locis in hujusmodi Capitulo Provinciali in
ipsa Provincia immediate antea celebrato
deputatis, celebrari non fecerit cum renun-
tiatione sui Provincialatus officii, & singuli,
sit dicto officio eo ipso privatus, & quod si
ex tunc administrationi dicti officii se im-
miscuerit, excommunicationis sententiam
incurrat ipso facto, & Provinciam regant
illi, quibus in hoc casu per instituta, & con-
suetudines prædicta ejus regimen est commis-
sum, quodque nullus ex hujusmodi Fratribus
ad hujusmodi Provincialatus Officium jam
electus, vel in futurum eligendus, si in hu-
jusmodi Theologia Magister, ultra tres; si
vero alius fuerit, ultra duos annos, si tamen
rite ad illud vocatus extiterit, eligi, aut con-
fir-

Edidit Em-
polus in Bul-
lar. Ordinis
hujus.

Exordium.

Ambitionem
Fratrum hu-
jus Ordinis
curans cohibere.

Constitutio-
nem, de qua
in Rubrica,
adit.

firmari quoquo modo possit, aut debeat, nec
ipsorum aliquis infra biennium a fine termini
hujusmodi sui Provincialatus officii compu-
tandum ad idem officium aliquatenus de-
novo recipiatur.

§. 3. Ita etiam, quod illi, qui ad præ-
sens in hujusmodi Provincialatus officiis exi-
sunt, si hujusmodi tempus compleverint,
aut transcenderint officiis eisdem omnino
cedant: si autem nondum compleverint,
possint tempus ipsum complere modo supra-
scripto.

§. 4. Neque etiam liceat Priori Generali
ejusdem Ordinis quidquam contra præmissa
quomodolibet attentare, aut alias super eo-
rum aliquo, præterquam super mutatione
loci ad hujusmodi Capitulum, pro tempore
celebrandum, si expedierit. . . . juxta tamen
Diffinitorum Capitulorum Provincialium
hujusmodi significationem, & determina-
tionem, & non alias dispensare: quibuscum-
que constitutionibus, & ordinationibus Apo-
stolicis, ac statutis, & consuetudinibus dicti
Ordinis, & aliis contrariis non obstantibus
quibuscumque.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat
hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis,
& voluntatis infringere, vel ei ausu te-
merario contraire. Si quis autem hoc atten-
tate præsumpserit, indignationem Omnipotentis
Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apo-
stolorum ejus se noverit incursum.

Datum Mediolani, decimo sexto Kalen-
das Novembris, Pontificatus nostri Anno
Primo.

Provinciales
ultra termi-
num in officio
permanere
vetat.

Priori Gene-
rali super hoc
dispensandi a-
dimit facul-
tatem.

Clausula.

Dat. die 17.
Octob. 1418.
An. I.

Ex Regest.
Yatic. &
Raynald. ad
ann. 1410.

Proemium.

VI.

Expositis iis, quæ peracta sunt in condemna-
tione Errorum Nicolai Serurarii Archie-
piscopi, & Episcopis mandatur, ut inquirit
contra ejus Sectatores.

Martinus Episcopus, Servus Servorum Dei.
Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Ar-
chiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Ele-
ctis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, De-
canis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum
& Monasteriorum Prælatibus, & Inquisitori-
bus hæreticæ pravitatis, ad quos præsen-
tes litera pervenerint, Salutem, & Apo-
stolicam Benedictionem.

Ad hoc præcipue disponente Domi-
no universali ecclesie præsiden-
tes, ut Christiani fideles sub Orthodoxæ fidei sin-
ceritate, quibusvis erroribus intacti perman-
cant, vigilamus, adversus quoque bases fi-
dei, & Ecclesie prædictarum doctrinas, De-
creta, observantias, & ordinationes quomo-
dolibet dogmatizata sollicitis studiis angu-
mur extirpare, ne ager ipse dominicus hæ-
resis & errorum contagio valeat maculari.

§. 1. Dudum siquidem, postquam Vene-
rabilis frater noster Johannes Episcopus Tor-
nacenensis dilectum filium Nicolaum Serurarii
Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augu-
stini Professore, in Sacra Theologia Magi-
strum, Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

strum, qui maligno inflatus spiritu credens
plus sapere, quam oporteret, & civitatibus,
& Dicecesibus Tornacensi, & Cameracensi,
ac partibus illis contiguis immaculatæ Ecclē-
sie puritatem inficere, & dirumpere, ac sim-
plices, & vulgares Christianos populos in
æterna damnationis interitus viam ponere,
fatagens eis articulos, & assertiones infra-
scriptos heretica labe, & erroribus infectos, scan-
dalosos, seditiosos, temerarios, & injurio-
sos per nonnulla tempora in suis publicis ser-
monibus, & alias publicaverat, prædicave-
rat, & divulgaverat, & quod illos defendere,
tanquam veros, se iactabat in sua, dicti-
que populi animarum periculum, necnon
Cleri illarum partium turbationem gravissi-
mam perniciosumque scandalum, ad inqui-
sitionem auctoritate ordinaria descendere,
& in Causa hujusmodi diutius processerat,
testes, & alias probationes recipiendo super
articulis, & assertionibus memoratis, quo-
rum tenores sequuntur in hæc Verba.

§. 2. Charitas est ad Deum, & proxi-
mum, & non ad se ipsum.

Deus non remittit, neque remittere po-
test culpam peccatori absque prævia contri-
tione.

Presbyteri publici Concubinarum non habent
auctoritatem seu potestatem absolvendi
peccatorem, & Peccator confessus Sacerdoti
publico concubinario recedit absque absolu-
tione.

Orationes, & preces Missales talium Sa-
cerdotum publicorum Concubinariorum sunt
nullius valoris, & Missæ per tales concubina-
rios celebratæ pro defunctis, aut vivis, sunt
nullius valoris.

Oratio non debet dirigi nisi ad Deum,
solummodo, & non ad Sanctos.

Curati dicunt Parochianis suis, quod
saltem semel in anno Parochianus tenetur
confiteri suo proprio Curato.

Religiosi putati sunt proprii Sacerdotes,
& veri Curati.

Curati impediunt Parochianos suos, ne
dent, nec faciant elemosynas, dona, aut le-
gata Mendicantibus, & ne dicti Parochiani
eligant sepulturas suas in domibus eorumdem
Mendicantium.

Mendicantibus præsentatis, ipsis con-
fessus licite potest recipere Corpus Chri-
sti, & non potest, nec debet Curatus
Confessor Mendicantibus præfatis denegare
Corpus Christi: quod si denegat, dictus Cu-
ratus peccat mortaliter, & est excommuni-
catus.

Statim mortali peccato commisso pec-
cator sub pœna peccati mortalis debet illud
confiteri priusquam obliviscatur.

Non est mulieri opus purificari, quinimo
hoc scilicet purificari est judaizare.

Presbyteri publici concubinarum sunt
peiores Juda, qui de loculis Apostolorum nu-
trivit suam concubinam, & suas proles.

Presbyteri publici concubinarum sunt ex-
communicati, & sanctum publice scienter
participantes.

Plures sacerdotes a modico tempore ci-
tra licentia verunt sicte suas concubinas, sicte
111 2 in-

Ab Episcopo
Tornacensi
confessus Pro-
cessus super
Propositioni-
bus Nicolai
Serurarii.

Serurarii Pro-
positiones.

inquam, quia occulte bibunt, & comedunt cum suis concubinis, quod nullus debet pati immo cum eisdem Sacerdotibus concubinariis publicis conversantes, & eos favorizantes, sunt in pari peccato, & peccant qui eos nituntur excusare falsis glossis.

Si Parochiani alicujus Curati concubinarum publici bene Deum diligenter, debent inhibere suo Curato publico concubinario, ne Missam aut aliud Divinum Officium coram eis Parochianis celebraret.

Facientes celebrare Missas per Sacerdotes concubinarios publicos peccant mortaliter.

Audientes scienter Missas Sacerdotum publicorum concubinariorum peccant mortaliter.

In aliquibus sermonibus suis vocavit obfirmatos, & reprobatos, adiciens ulterius, quod non sine causa Presbyteri vocantur ribaldi.

Deferre honorem feretro Beati Antonii erat crimen idolatrie.

Illi, qui dant ad comedendum porcis bajulantibus campanulam Beati Antonii, peccant mortaliter ratione precedente.

Multum mirabatur quomodo Prelati sustinebant tale quid, scilicet deferre hujusmodi feretrum per Patrias, sicut propter largam denaria, quae a Religiosis Sancti Antonii habebant.

Deputati ad portandum hujusmodi feretrum non sunt nisi trumpatores, & abusatores.

Non credebatur quod Religiosi praefati super deportatione feretri cum caeteris, quae ibi sunt, obtinerent aliqua privilegia.

Hoc faciunt indebite, & injuste populum seducendo.

Non credebatur fore verum, quod habeant illi Religiosi indulgentias a Papa pro dando aliquid Beato Antonio, seu Nunciis ejus, seu porcis portantibus campanulam Beati Antonii; addens, quod nunquam aliquis Papa dedit indulgentias pro dando vicium animali.

Tales Religiosi, & Nuncii ipsorum intulerunt timorem audientibus, & praesertim in Villagijs, quod Sanctus Antonius comburet eos, & ideo timore perterriti, si non habeant nisi unum denarium, darent eundem.

§. 3. Sacrosancta Synodus Constantiensis, ad quam dictus Nicolaus propterea personaliter accesserat, & ad cujus Synodi articuli & assertiones praedictae notitiam pervenerant, tunc Apostolica Sede vacante, tantum scelus, ne fatore zizaniae procurante in hujusmodi christiana fide & populo per amplius pullularet, radicatus extirpare cupiens, & de praemissis certam notitiam non habens, Venerabili Fratri nostro Johanni Patriarchae Constantinopolitano in dicta Synodo & ipsius potentissimum membrum existenti causam Inquisitionis hujusmodi ad se advocans, eam ad instantiam dilecti filii Michaelis de Brodathumicali clerici Promotoris, & Instigatoris Causarum fidei Catholicae, cum idem

Securitati causae cognitio a Concilio Constantiensi Patriarchae C.P. demandata.

Nicolaus tunc apud sedem existeret praedictam, ut praefertur, audiendam commisit, & sine debito terminandam.

§. 4. Et deinde, postquam idem Patriarcha ad dictorum articulum & assertionem, ad id vocatus, & praesentibus Nicolao praedicto, magnoque Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & aliorum in eadem Theologia, necnon jure Canonico & Civili Magistrorum, & Doctorum numero, discussionem & examinationem diligentem, necnon circa illorum per Nicolaum praedictum assertionem, & defensionem informationem processerat; Nos Divina favente clementia, ad Summi Apostolatus apicem assumpti, juxta debitum Apostolatus officii nobis injuncti hujusmodi haereseos & errores cupientes a fide & populo eliminari praedictis, praefato Patriarchae commisit, ut causam praedictam in eo statu, in quo tempore assumptionis nostrae hujusmodi coram eo remanserat, resumeret, eamque ulterius audiret, & sine debito terminaret juxta tenorem commissionis antedictae.

§. 5. Postea vero per eundem Patriarcham super articulis & assertionibus memoratis cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, caeterisque Magistris, & Doctoribus praefatis discussione & examinatione, & super eorum praedicatione, & assertionem hujusmodi per Nicolaum memoratum factis, ut praefertur, sufficientibus probationibus tam per fide dignorum testium in hujusmodi causa productorum, & examinatorum attestationem fidelem, quam alias etiam per processum per dictum Joannem Episcopum eadem auctoritate factum, ut praefertur, praehabitis, praedictus Nicolaus Spiritus Sancti gratia ad viam veritatis redactus, in praemissis se turpiter errasse & deliquisse cognoscens, dicta durante Synodo, certo peremptorio termino competenti sibi per eundem Patriarcham super hoc assignato, coram eo in judicio comparens, non compulsus, non coactus, sed sponte & libere puro corde, & animo, ut ore proprio dicebat, asseruit, & confessus fuit, se cum determinatione dictae Synodi firmiter credere, non nullos ex eisdem articulis & assertionibus fore haereticos & infidelios, alios erroneos, aliquos scandalosos & seditiosos, & aliquos temerarios ac injuriosos, ac eos penitus revocavit. Et nihilominus juramento solemniter professus fuit, se semper stare firmiter, & fideliter cum Sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia in suis determinationibus, & ordinationibus, illis semper obediendo, in his praesertim, quae ad fidem, pertinent eandem, etiam quoad damnatae memoriae Joannis Vvicleff, & Joannis Huss condemnatos articulos, cum quibus aliqui ex eisdem articulis & assertionibus per eundem Nicolaum praedicatis, & publicatis, ut praefertur, connexionem habere noscuntur; anathematizans & detestans omnes & singulas haereseos, & errores articulum praedictorum, quodque in sacramentis & clavibus dictae Ecclesiae, veneratione Sanctorum, & illorum reliquiis ac indulgentiis, in unitate

Martinus post suam electionem Patriarchae eandem cognitionem commisit.

Propositiones illas citavit idem Nicolaus.

ipsum Ecclesiae integre & perfecte absque dubio permaneret, & si ipse contra praedicta aliquid senserit, aut praedicaverit publice vel occulte, verbo, vel in scriptis, Canonum severitati se subjecit, ipsamque confessionem manu sua propria subscriptam ad Regnum Franciae, & Studium Parisiense, ac nobiles & communitates praedictarum Tornacensis, & Cameracensis Civitatum, & Diocesum, ac oppidorum circumjacentium dirigi voluit, ne quis nomine sui articulos, & assertiones supra scriptas approbaret, quos voluit, rogavit, & obsecratur, ne ulterius pias aures offenderent, publice ad eorum detestationem notoriam concremari.

§. 7. Et successive praefatus Patriarcha, visis per eum, & diligenter inspectis omnibus actis, & actibus, habitis, probatis, & confessis in causa hujusmodi, ipsique cum diligentia recensitis, & examinatis, & super his cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac Magistris & Doctoribus praedictis deliberatione matura & fideliter praehabitis, ad exaltationem fidei, & veritatis manifestationem per suam diffinitivam sententiam etiam per Venerabilis Fratris nostri Thomae Episcopi Caputaquensis, & dilectorum filiorum Roberti Abbatis Monasterii Cluniacensis Matificonensis Diocesis, ac Mauriti de Praga, Guillelmi Pulchrinopetis Canonici Avinionensis in eisdem Theologia & juribus Magistrorum & Doctorum subscriptionem manibus propriis factam & approbatam pronuntiavit, decrevit, & declaravit, eundem Nicolaum in civitatibus Tornacensi & Cameracensi ac partibus praedictis per suas falsas Dogmatizationes populorum infecisse in scandalum Ecclesiae, & contra veritatem fidei, atque bonorum morum, illosque periculosissime seduxisse, & circumvenisse.

§. 8. Et quia quorumlibet delictorum qualitas, & quantitas, inspicienda sunt, ut juxta illas poenitentiam inducatur, Civitates & Dioeceses Tornacenses, & Cameracenses praedictas, & regionem eis contiguam triginta leucarum spatio eidem Nicolao quoad viveret, ac Civitatem & Dioecesim Parisiensem usque ad decem annos a die late sententiae hujusmodi computandos, sub poena incarcerationis perpetuae absque spe cuiusvis remissionis interdixit, ipsum, si contrafecerit, brachio seculari relinquendo, necnon apparentibus de praemissis erroribus in eodem Nicolao contritionis & compunctionis signis, ac ipsius voluntaria super salubriter imponendis sibi subjectione, & illorum humili petitione praevius, praefatum Nicolaum ad gremium Sanctae Matris Ecclesiae devote redeuntem suscepit, & ab excommunicationis sententia, & aliis censuris Ecclesiasticis, quibus tenebatur adstrictus, sui Ordinis regulari correctione excepta, absolvit, & communioni Ecclesiae praefatae reconciliavit, sibi, si poenitentiam sibi injunctam salubriter peregerit, misericorditer rigorem juris attemperans, ut inclusus per duos annos continuos in Domo Metensis ejusdem Ordinis Eremitarum Sancti Au-

Patriarcha definit Nicolaum illis Propositionibus populis scandalizasse.

Impositaque ei poenitentia in gremio Ecclesiae recepit.

gustini, & illius totum ambitum pro carceribus assignavit, omni collatione & communicatione quorumcumque Laicorum sub poenis praefatis, quas ipso facto cum incurere voluit, penitus interdicta.

§. 9. Decrevit denique, concessit, & injunxit omnibus & singulis Prelatis Ecclesiasticis, alias jurisdictionem Ecclesiasticam habentibus, in quorum jurisdictione dictus Nicolaus repertus fuerit, quod illum, si contra praemissa, vel eorum aliquid attulerit, juxta Sanctiones Canonicas quibuscumque non obstantibus, punirent.

§. 10. Si vero dictus Anathematizationes, detestationes, & revocationes hujusmodi recusaverit, vel etiam neglexerit adimplere, & huic Sententiae parere subterfugerit, ipsum tanquam pertinacem hereticum, actualiter degradandum, & ex eundem in forma Ecclesiae omni ordine, & gradu Ecclesiastico, & brachio seculari relinquendum fore declaravit.

§. 11. Postmodum vero cum ab aliquibus, praesertim Praedicatorum, Minorum, praedicti Eremitarum Sancti Augustini, & Beatae Mariae de Monte Carmelo Ordinum in Romana Curia tunc praesentibus, an sententia ipsa matura, & iuste contra dictum Nicolaum lata esset foret, nos dilecto filio nostro Antonio tituli Sanctae Susannaes Presbytero Cardinali commisit, ut de sententia ipsa cognoscens legitime eam confirmaret, vel infirmaret, prout de jure foret faciendum. idemque Cardinalis ad praedictorum Magistrum Simonis Bollehoux Archidiaconi Ecclesiae Cavallicensis, Baccalaurei in Decretis, cause hujusmodi specialiter deputati procuratorum instantiam, prout vigore commissionis hujusmodi poterat, in hujusmodi causa procedens legitime, visis omnibus, & singulis actibus, & habitis in causa hujusmodi, illisque cum diligentia recensitis, & examinatis, ac habito super his cum Venerabilibus fratribus nostris Petro Archiepiscopo Cretensi, Gundisalvo Astoricensi, Thoma Vigintimillensi Episcopis, & dilectis filiis Magistro Hermanno Alberg Notario nostro, Nicolao Abbate Monasterii Sancti Vandregisilii, & Magistris Jacobo Morressoni, Joanne de Fabrica, Joanne Gundisalvi Cappellani nostris, causarum Palatii Apostolici Auditoribus Joanne de Francordia, & Conrado de Suto, & aliis in eadem Theologia, & utroque jure Doctoribus, & peritis consilio maturo, de illorum consilio & assensu per suam diffinitivam sententiam pronuntiavit, decrevit, per eundem Patriarcham in causa hujusmodi bene fuisse, & esse processum, sententiatum, & diffinitum ipsiusque sententiam antedictam confirmandam fore, & confirmavit, illaque executioni debitae demandandam fore, & demandavit, prout in instrumentis publicis inde confectis eorundem Cardinalis, & Patriarchae sigillis munitis dicitur plenius continetur.

§. 12. Nos itaque hujusmodi articulos & assertiones Nicolai praedicti penitus cupientes

Data Prelatis facultate eum si in suis Dioecibus repertum canonice puniendi.

Poenitentiam si foret, haereticum voluit declarari.

Hae Patriarchae sententia per Martinum expressa examinata.

Et a Martino Delegato approbata.